



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis
Iesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1589]

VD16 B 1603

XXII. De veritate secundæ Orationis Canonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

Sed Kemnitijs probare debuisset aliquo testimonio, quæ tam audacter affirmat.

VNDECIMA obiectione, quæ est Kemnitij *QUARTA*, est contra illud: *Et memoriam venerantes*; obiicit enim Kemnitijs, quod olim in Ecclesia vsus fuerit prædicandi memorias Martyrum, & certamina, ac victorias ipsorum: nunc autem Canon Missæ solùm præscribat memoriam per nominum recitationem, idque submissa voce.

SED & in hac obiectione, præter calumnias, & mendacia inuenimus nihil. Veteres enim non in Liturgia, sed in concionibus, & lectionibus Martyres prædicabant, quod & nos facimus tum in concionibus ad populum, tum in lectionibus, quæ assidue decantantur in Horis Canonicis: alioqui profertur ex Liturgia Basilij, vel Chrysostomi, vel qualibet alia, iste vsus prædicandi res gestas Martyrum; certè nihil in eis nisi nomina inueniuntur, vt in nostra Liturgia cernimus.

DVODECIMA obiectione, quæ est *QUINTA* Kemnitij, pugnat cõtra inuocationem, quæ annectitur memoriæ Sanctorum: sed nihil noui adfert præter ea, quæ supra refutauimus, cum ageremus de Missis in honorem Sanctorum, cap. 8.

CAPVT XXII.

De veritate secunda orationis Canonis.

ALTERA oratio Canonis incipit in illis verbis: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, &c.* in qua continentur quatuor petitiones. *PRIMA*, vt oblationem nostram Deus placatus accipiat. *SECUNDA*, vt dies nostros in sua pace disponat. *TERTIA*, vt ab æterna damnatione nos eruat. *QUARTA*, vt in electorum grege nos numeret.

Contra hanc orationem est *PRIMA* obiectione Lutheri: *Hic rursus, inquit, offert panem, & vinum, & fideles liberentur ab æterna damnatione. Tantam efficaciam panis, & vino tribuunt: nam ad hanc redemptionem nullius est momenti mors, & passio Filij Dei.*

RESPONDEO; Calumniæ sunt, non argumenta, quæ hîc à Luthero obiiciuntur: non enim sacerdos orat, vt per oblationem panis, & vini liberemur ab æterna damnatione, sed orat Deum, vt ipsam oblationem panis, & vini accipiat, vt materiã sacrificij futuri, & eam videlicet benedicat, & sanctificet.

Gggg 3 Deinde

Deinde adiungit alias tres petitiones, supra enumeratas, non precatur eas impleri per oblationem panis, & vini, sed per eundem Christum Dominum nostrum.

SECUNDA obiectio est Kemnitij, SEXTA apud ipsam *Vetus Ecclesia*, inquit, obtulit Deo in celebratione Eucharistiae preces pro impetrandis per Christum beneficiis temporali- & aeternis: ad hoc sacrificium precum commodè referrunt haec Verba; Hanc oblationem placatus accipias, & sacrificium. Verò Canon hac transfert ad mimiciam sacrificii representationem panis nondum consecrati, & orat. *Si Deus illam ita accipiat, ut propter illam dies nostros in sua pace desinat, & à damnatione nos eripiat.*

RESPONDEO; Quòd verus Ecclesia obtulerit Deo preces pro beneficiis per Christum impetrandis, verissimum est, & idem nostra Ecclesia in hac ipsa oratione Canonis facit. Modicum enim est apertissimum Kemnitij & Lutheri, quòd hic petamus beneficia propter oblationem panis: ipsa oratio non est obscura, neque ambigua, neque aliud continet, nisi quatuor petitiones: *Per Christum Dominum nostrum.*

Quòd autem Kemnitius dicit, illud: *Hanc oblationem* se commodè referrì ad sacrificium precum, & contra Kemnitium, & contra veritatem est. Contra ipsum Kemnitium, quia ipse in prima obiectione referebat ad eleemosynas illa verba primae orationis: *Hac dona, hac munera.* At de eadem oblatione loquitur Canon in prima & in secunda oratione, ut patet ex illa particula (Igitur) *Hanc oblationem, &c.* Quare si in prima oratione agebatur de eleemosynis, & in hac secunda agitur de eleemosyna: proinde Kemnitius sibi ipse repugnat. Est autem id totum contra veritatem, quia de eadem oblatione agitur in prima, secunda & tertia oratione Canonis. In tertia autem perspicue obicitur, per oblationem intelligi debere oblationem panis consecrandi, cum expressè dicatur, ut fiat nobis corpus, & sanguis, &c. non igitur ad eleemosynam, nec ad orationem, sed ad Eucharistiae sacrificium referendum est, quidquid dicitur in his orationibus.